



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**R. P. Adami Contzen E Societate Iesv, SS. Theol. Doct.  
Commentaria In Qvatvor Sancta Iesv Christi Evangelia**

**Contzen, Adam**

**Coloniæ Agrippinæ, M.DC.XXVI**

Vbi Ioannes Baptizabat?

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-83011](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-83011)

QVÆSTIO I.

Vbi Ioannes baptizabat?

§. 1. EN Anon iuxta Salim. Alia enim Anon erat prope Damascum, Ezechiel. 47. 17. Syrus ait *בְּכִין לַאֲנֹן* bekim Lauan, in fonte Lauan. Apud Ezechielem vero est *בְּכִין לַאֲנֹן* ghem, ita vt voce etiam differunt, Syrum interpretari possis, in fonte Lauan, vel, fonte Ionis. Falluntur itaque interpretes, qui eundem locum faciunt, eo quod idem nomen existiment. Anon Hieronymus de locis Hebraicis inter Iersalem, & Diospolim, id est, Zyddam collocat. Salim ait esse in Sichem.

Aqua multis, riuus scilicet, & fontes, non autem Iordanis inundationes.

VERSVS 25.

Facta est autem questio ex discipulis Ioannis cum Iudæis, de purificatione.

QVÆSTIO I.

De qua purificatione facta est questio?

§. 1. NON de Iudaico ritu, sed baptismo; hoc enim mouit Discipulos, cur veniant & Ioannem moneant, zelo peruerso impulsus. Syrus habet, *questionem vni בְּכִין לַאֲנֹן* la had ex discipulis ortam esse, cum vno Iudæo, ab vno videlicet incepit, ad plures deinde est prorogata contentio. Ne vero parui faciat querelas Magister, arguit etiam v. 26. Rabbi, qui erat tecum trans Iordanem, cui tu testimonium perhibuisti, ecce hic baptizat. & omnes veniunt ad eum. Omnes ad illum venire hyperbolice dicunt, qui enim pro baptismo zelabant non veniebant. Syrus pro *טוֹבֵרֵס* vertit: *כִּי יָדָע* sagie multi.

Christum baptizare asserunt; nam Apostolos baptizata, saltem ex illis al quos, per quos ceteros dedit baptizabat. Ordinarie Dominus euangelizabat, miracula faciebat, baptizandi officium per discipulos exercebat.

§. 2. Ioannes respondet v. 27. Non potest homo accipere quidquam, nisi fuerit ei datum de celo; & accusationem retundit. Hoc autem Ioannis dictum de Christo dici communiter consentiunt. Alij indignantis exclamationem esse arbitrantur. Non mirum eos tot suis exhortationibus tam parum profecisse, Deum non dedisse. Sed melior est prior expositio. Non enim Deus causa dubitationis & ambitionis erat, sed discipulorum vitiositas tarditasque.

Syrus addit, non posse hominem accipere quidquam *בְּכִין לַאֲנֹן* Men Zebuth naphshech, ex voluntate animæ suæ. Hoc est electione propitij arbitrij, non enim humanæ industriæ est venire, miracula facere, sed muneris diuini. Hæc autem verba cum in Latinis, & Græcis codicibus non sint, ex glossemate inserta non dubito.

VERSVS 29.

Qui habet sponsam sponsus est, amicus autem sponsi qui stat & audit eum, gaudio gaudet propter vocem sponsi. Hoc ergo gaudium meum impletum est.

QVÆSTIO I.

Quo similitudo sponsi pertineat?

§. 1. SPONSUS est cuius honori omnes seruiunt, & propter quem ad nuptias veniunt. Christum esse sponsum Ecclesiæ ad quem omnes conflunt, ad quem & ipsos suos discipulos ire desiderat, se amicū sponsi duntaxat esse. Gaudio gaudere ad vocem sponsi, Syrus gaudio magno gaudere, ita sane fuit, gaudium enim suum dicit impletum.

Sponsi similitudo etiam eo facit, vt ostendat, soli Christo adhaerendum, eius sponsas esse animas fidelium, ceteros amicos sponsi esse, quos ille ad nuptias inuitat, vt coniugium honorent, non vt sponsam illis prostituat.

§. 2. Bullingerus furiose oppugnat Romani Pontificis primatum ex eo, quod Ioannes se sponsum negarit. Monstrum esse ait eam Ecclesiam, quale illud Horatianum.

*Humanò capiti ceruicem pictor equinam  
Iungeret.*

At vero non Petrus ipse, non Pontifex vllus sponsum Ecclesiæ se dixit, sed vicarium, & administratorem Ecclesiæ visibilis, in hac terra pugnantis; amicum sponsi. Quod si sponsi interdum nomine in spiritualibus vtuntur, aliud nihil nisi amorem & curam indicant.

VERSVS 30.

Illum oportet crescere, me autem minui.

QVÆSTIO I.

Quomodo Ioannem minui, Christum crescere oportet?

§. 1. ALLEGORICÆ interpretationes sunt: Ioannem capitis abscissione minutum Christum in cruce extensum. Ioannem se minuisse fatendo peccatorem, Christum creuisse summa innocentia. Alij sic factum opinione hominum. Quæ omnia omitto. Nam verum incrementum Christi decrementum sui viri Sanctus intelligit, quod non in eo consistebat, vt Ioannis Sanctitas, vel hominum de illo opinio minueretur, hæc enim aucta sunt, sed cum magna turba ad Ioannem conflere soleret, Christo docente, ad eum venirent, Ioanne deserto, vt quos ipse ad Christum mitteret, crescebat igitur familia Christi, decrecebat Ioannis. Hoc quod vrebat discipulos Ioannis, vt clamarent: *Omnes veniunt ad illum.* Suam solitudinem cum frequentia gloriaque Christi inuidiose comparantes. Ioannes respondet: sic a Deo ordinatum esse, vt ille crescat, populoque trahat, ipse vero Ioannes minuat, et tandem in carcerem compingatur.

Crescendi autem verbo de gloria & frequentia & profani, & sacri scriptores vtuntur, vt Genes. 26, vers. 3.

VERSVS 31.

Qui de sursum venit super omnes est, qui est de terra, de terra est, & de terra loquitur. Qui de calo venit super omnes est.